



Ad supplendam, quam promissimus historiam, Cassani Bassæ quoque effigiem in nummo exhibemus, qui cum 5000 equitum millibus à Mahumete Bassa, totius exercitus Turcici præfecto, ad Lippæ obsidionem missus: arcem illam flammis corruptam invenit: sed munitiones non omninò destructas esse cernens, igne prorsus extincto, eas instauravit: Mahumetumque ejus rei certiore facit. Solimorum quoque arcem vicinam situ inexpugnabilem, à præsidiariis tamen alieno pavore consternatis desertam occupavit: quos fugientes adsecuti Turcæ ad unum omnes sine certamine trucidaverunt: excepto centurione arci ab Aldana imposito, qui captivus ad Cassan Bassam perductus fuit. *Natalis Comes: Author.*